





DISSERTATIO INAUGURALIS
OBSERVATIONES QVADAM
MEDICO - PRACTICAS
SISTENS.

1773 46
7

QVAM
E DECRETO
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO
D. IOANN. CHRISTLIEB KEMME
MEDICIN. PROFESSOR. PVBL. ORDINAR. ET ACAD. IMPER.
NAT. CVR. SODALI

PRO
GRADV DOCTORIS

LEGITIME IMPETRANDO
DIE XV. DECEMBR. MDCCCLXXIII.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
IOANNES GOTTHOLD TRALLES
MOYSO - LVSATVS.

HALAE AD SALAM,
AERE TRAMPIANO.

INSTITUTIONES
MEDICINAE
PRACTICAE
SISTENS

Laudo ratiocinationem, modo ex iis, quae sensus comprehendi-
dunt, aut experimenta ostendunt, nascatur, et rite ex his, quae
comparent, conclusiones colligat. Quod si non legitima intré-
ductione procedat, verum ex opinionum commentis proficiscen-
tur, molestias et difficultates graves adfert.

HIPPOCRATES lib. de Praeceptis

IOANNI GVILIELMO
TRALLES

MEDICINAE DOCTORI

PATRI OPTIMO

s.

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS

IOANNES GOTTHOLD TRALLES.



Et si non ignoro, PATER SVMMAM
PIETATE COLENDE, quam te-
nues sint, quas TIBI offero,
plagellae; attamen spero, tenerrimo, quo
amplecteris me, amore fretus, hanc TE publi-
cam

cam gratissimi mei piique animi, tesseram
haud dedignaturum, sed benigne potius su-
scepturum. TV quidem mihi, ab eo tem-
pore, quo artem medicam haud sine magno
labore summaque difficultate addiscere coe-
pi, sapientissime consuluisti, praeceptisque
TVIS et adhortationibus effecisti, vt nec ma-
la pro bonis eligerem, nec in perdiscenda
arte, difficillime assequenda, succumberem.
Commendabat praeceptor meus sudorifera
calidissima ad febres putridas propellendas:
TV vero TVIS monitis cavisti, ne turpi et ca-
lamitoso errore deceptus sim. Saepenumero
hucusque, consilia TVA secutus, acidis,
evacuantibus aegrotos sanavi, quos alexi-
phar-

pharmacis trucidassent. Artem medicam,
quam haud pauci eorum, qui curam mei gere-
bant, contemptu prosequerentur, nobilissi-
mam esse adfirmasti, labentemque meum
animum hoc solatio mire erexisti. Observa-
tiones TVAS mecum communicasti; quo fa-
ctum, vt, praxin Hippocraticam edoctus, sa-
nam theoriam didicerim. Commendasti mi-
hi misericordiam erga aegrotos, liberalitatem-
que erga eos, qui opibus indigent. TV
quoque hortatus me es, vt constanti eos ani-
mo ferrem, qui benefica medici conamina
malitia remunerantur. Denique, vt habe-
rem exemplar, quod intuens imitari possem,
TV mihi, OPTIME PATER, praeclaro TVO ex-
emplo

emplo praeiufi, praeceptaque TVA factis
confirmasti.

Aequum igitur erat, tanta TVA erga
me beneficia publice edifferere. Cum vero
haud quidquam aut nouerim, aut habeam,
quo ea dignius ac decentius remunerari
possem :muneris loco indelebilem TIBI meam
pietatem offero. Vale.

DIS



DISSERTATIO INAUGVRALIS
OBSERVATIONES QVASDAM
MEDICO PRACTICAS
SISTENS.

PROLOGVS.



Hæſitanti mihi, quale thema eligerem,
obſervationes quasdam medicas publi-
ci iuris facere in mentem veniebat.
Vix enim aliquid in theoria medica inveni, quod non

a medicis doctissimis iam dictum esset, neque millies
dicta repetere placuit. Nihil noui equidem protuli,
neque ramen obseruata nouis obseruationibus confirma-
re nocebit. Veras nec fictas esse, quas enarraui, morbo-
rum historias, asseuero; an vero in iis explicandis recte
coniecerim, diiudicent lectores, erroresque fortasse
commisos iuuentuti meae tenuique eruditioni, tri-
buant. Nonnullas morborum, quas commemoro, hi-
storias incompletas esse, vel ipse sentio; id vero me vi-
tium haud cavere potuisse, scias. Neque, illud conce-
dens, eas omni vtilitate carere existimo. Nam sufficiunt
certe fini, propter quem enarrantur.

OB.



OBSERVATIO PRIMA!

DE VSV CORTICIS PERUVIANI IN FEBRIBVS
INTERMITTENTIBVS.



§. I.

Plurimi nostrae aetatis medici in eo, ni fallor, consentiunt, quod Cortex Peruvianus in febribus intermittibus, *corpore antea non satis expurgato*, maxime sit nocivus, his modo febribus exceptis, quae soporosae, apoplecticae et in vniversum malignae dicuntur, a) utpote quas maxime letales, in primo aut altero
A pa-

a) Vid. TORTI *Therapeutice Special. ad febres periodicas pernicios. Francof. et Lips. 1756.*



paroxysmo, China suppressas, causam deinde earum, spasmos, sopores, apoplecticos insultus etc. efficientem, faburram, putam, biliosam, putridam, acrem, rodentem, spasticis motibus, ne vita iis pessumdetur, antea sedatis, evacuantibus e primis viis eiiciendam esse, per experientiam cognitum est. Sed multa praeterea de effectibus vsuque Chinae a viris celeberrimis disputantur, neque, quo temporis momento materia febrilis vere expurgata sit, inter se convenire videntur.

§. II.

Duae imprimis indicationes, ut febres remoueantur, considerandae sunt; 1) causa (spasmi febrilis, materia biliosa, pituitosa, etc. eiicienda: 2) ea euacuata tonus laesus restituendus. Hunc quidem effectum mire praestat Cortex Peruvianus, nec vllum aliud remedium datur, quod tam tuto citoque vires amissas resarciat. Sed minime hic Cortex pro specifico sic dicto antifebrili habendus, neque vllum in causa febris remouenda locum obtinet. Materia febrili plane remota cessat febris, (an enim febres consuetudinariae, minime aut ab obstructione viscerum, aut a materia quacunque febrili, a sola potius nervorum sensibilitate pendentes, omnino inveniuntur, dubius haereo). Si igitur febris aut sponte, aut remedijs evacuans cessat, tunc materiam febrilem plane esse remotam, audacter conicere licet. Materia nondum
sublata,



Sublata tollitur quidem Cortice Peruviano febrilis spasmus, saepissime iteratis vicibus rediens; minime vero causa febris; atque igitur hanc ob causam febris quartana aegrotum culpa medici per annos nonnumquam exoruciat. Cum haec igitur ita sint, atque ideo febris aut sponte, aut remediis evacuanti- bus, sistatur; minime a Cortice Peruviano alium expectabis effectum, quam roborantem: febre nempe sublata, eo fibrae debilitatae roborantur, firmantur. Neque hic de morbis, quos intempestivo Corticis usu procreari alii negant, alii affir- mant, v. c. tumoribus cachecticis, hydrope, ictero, etc. lo- quar, qui an inde oriantur, nec ne? ipse nondum experien- tia convictus, minime aut contendere aut refellere audeo; cum quidem hydropem, si a sola fibrarum laxitate pendeat, eo sanari saepius viderim.

§. III.

Quibus ita constitutis, sequitur, Corticem Peruvia- num roborando modo fibras vim suam exferere, virtutemque febrifugam Medicos ipsi iniuste tribuisse. Ante aliquot iam annos, de hoc remedio, ipsa mea experientia ductus, ita iu- dicavi, idemque nuperrime *Ill. VOGELIUM b*), (nisi forte verba egregii viri minus recte intellexerim,) proposuisse ma- gnopere gavissus sum. *Cortex Peruvianus*, inquit vir *Cel.*,
A 2 quem

b) in *Academic. praelectionib. de cognoscend. et curand. praecipuis corpor. human. affectib.* Goetting. 1772.



quem multi medici omnibus aliis febrifugis tamquam praecellentissimum hodie praeferunt, certe hanc laudem non meretur, sed potius infimum fere inter haec locum occupare debet, cum plures uncias saepe incassum devorent aegri. Atque omnino, materia morbosa nondum deleta, Cortex incassum devoratur. Sed hac remota ad tonum restituendum, ut supra monui, ne fortasse a fibra laxa morbi cachectici oriantur, et ipsa febris de novo demum exurgat, optimum saluberrimumque est remedium. Concedo lubentissime, quod, si, febrilium paroxysmorum vehementia, usu evacuantium iamiam mitigata, ipsa igitur causa febris plane iam imminuta, Cortex cum evacuantibus combinetur, tono motuque peristaltico paullulum aucto, fomes morbosus eo citius meliusque evacuetur. Sed haec methodus, Chinam propinandi, febre, ut dixi, imminuta, est adhibenda; inque hoc casu ea, evacuantium vires augens evacuandi causa aegrotis datur. Sunt quoque febres, in quibus hepar, mesenterium, lien, pancreas, tanto gradu obstructionibus sunt referta, ut evacuantibus extemplo cedere recusent, diuturnumque constantemque resolventium usum desiderent. Sed si ejusmodi febres recte consideraveris, pro morbo chronico cum febre coniuncto verius habebis. Tunc omnino, ne longinquiore evacuantium usu, fibra nimis debilitetur, atque aequali inter fluida solidaque reactione atque aequilibrio sublato, rumpatur, China interdum refracta dosi

interponenda est. Quodsi vero eiusmodi quoque febres, ob-
structionibus nondum retēratīs, China deleri existimes, nihil
omnino efficies.

§. IV.

Alterum est, quod de effectibus Corticis Peruviani celeberrimi viri, illo SYDENHAMI, c) qui a levissima catharsi, imo et ab enemate blandissimo e lacte saccharato, recidivae periculum imminere contendit, dicto: — — — Catharsi — — — minime subducenda est materiae febrilis pars aliqua, quo liberius cortex suo fungatur munere; nam inde recrudescunt Paroxyfmi, evanescente pulveris vis fortasse seducti, constituunt principium: omnia quidem evacuantia, simulatque China in febribus adhibeatur, esse vitanda, alias oriventur recidivae. Sic Ill. TISSOTVS d) So bald man, inquit, mit der China-Rinde angefangen hat, so muss man sich sehr in acht nehmen, dass man keine purgierende Mittel gebraucht, diese Ausleerung würde, mit der größten Wahrscheinlichkeit einen Rückfall des Fiebers verursachen. Idem asserit Ill. ZIMMERMANNVS e). Cum enim aegrotus quidam dysenteria laboraverat, Ill. Archiatri curae traditus, inter alia remedia quinto morbi die Corticem quoque

A 3

Peru-

c) *Oper. medic. T. I. Genev. 1751. p. 55. 56.*

d) *Anleitung für den gemeinen Mann etc. Mannheim 1772. p. 274. 275.*

e) *Von der Ruhr unter dem Voike. Zürich. 1767. p. 154.*



Peruvianum praescripsit, quo die foetidae apparuerant fedes, quae sequentibus deinde diebus saepissime redibant. Aegrotus interea, magnam Chinae copiam devorans, sanitati restitutus, et a febre plane relictus videbatur, a ZIMMERMANNO monitus, *ne, si se tutum a celerrimo febris recurso praestare vellet, intra mensis spatium ullum adhibeat evacuans remedium.* Obtemperavit aegrotus; nulla aderat febris; aliquo vero temporis intervallo praeterlapso, alius Medicus accersitus, Cortice Peruviano cum *Rheo* coniuncto, febrim revocavit, quae ab alio dein medico (quibusnam id factum sit remediis, ZIMMERMANNVS tacet), iterum sistebatur. Sed aliquis error hic subesse mihi videtur. Verum quidem est, evacuantia febrim, Cortice Peruviano pro tempore remotam, revocare; sed dubitare licet, an TISSOTVS, an ZIMMERMANNVS, quemcunque fomitem febrilem, antequam Chinam adhibuerint, e corpore exterminaverint. Scio equidem, Corticem ipsum, quem ZIMMERMANNVS aegroti suo propinaverat, alvum movisse, foetidas fordes eduxisse; an vero nihil plane materiae dysentericae ille reliquerit? et anne tanta Chinae, qua utebatur, copia, aliqua sordium pars in corpore fuerit inclusa, aut, (nisi Chinae culpam velis tribuere), quacunque alia causa intacta remanserit, quae ab altero deinde Medico, *Rheo* adhibito, iterum mota, febrim feliciter renovavit? de his alii iudicent. Id tantum

tum est, quod contendo, febrem rarissime evacuantibus, China ante adhibita, revocari, nisi impuritates aut obstructions in corpore remanserint; quin numquam id contingere, si modo ab eo, quem mox commemorabo, casu discesseris. Spasmo quidem febrili, causa febris nondum plane remota, febris ipsa laxantibus fausto omine revocatur, nisi improvido Corticis usu materia morbosa visceribus impacta tam firmiter adhaereat, ut revocare febrem difficillimum sit. Quod vero ad casum illum spectat, in quo, materia febrili licet plane remota, nihilominus evacuantibus febris iterum excitari potest, is, puto, ex his intelligetur. Si nempe robur intestinorum, causa febris sublata, Cortice Peruviano aut quibuscunque aliis tonicis minime restituitur, aut, ut ipse vidi, nimio moerore, aut evacuantibus intempestive adhibitis infringitur, novaetunc generantur impuritates, quibus causa febris ipsaque febris novissime oritur.

§. V.

Tertium, cui minime adsentior, momentum hac thesi continetur: Corticem Peruvianum, si ipse alvum moveat, plane esse inutilem. Sic enim TISSOTVS, f) SYDENHAMI g) forte verbis: Omnino cavendum est, ne purgetur aeger, nisi morbo penitus depulso; seductus: Bisweilen, inquit, erfolgt nach

f) lib. cit. p. 275. §. 265.
g) lib. cit. p. 58.



nach der ersten, und so gar nach einigen folgenden Dosen der China-Rinde eine Purganz. Dis ist nichts boeses; aber solange sie purgirt, hemmt sie gemeinlich das Fieber nicht. Folglich muss man diese Dosen in der letzten Absicht als verlohren ansehen, und andere wiederholen, bis sie zu purgiren aufboeren, und die Anstoeffe ausbleiben. Cognitum quidem est, Chinam numquam sic immediate, sed mediate potius agere, actionem solidorum in contenta augendo. Si igitur adfit materia biliosa, pituitosa; ea quidem, diarrhoea Cortice excitata, educitur, causa febris minuitur. In hoc igitur casu ipsa natura, quid faciendum, indicat. Diarrhoea evacuantibus est sananda, cum ipse Cortex felici successu diarrhoeam excitaverat, neque, quod quidem suadet **TISSOTVS**, tanta copia China adhibenda est, vt nimia huius remedii abundantia diarrhoea fistatur, quam minor ipsius portio feliciter procreauerat. Corticem igitur Peruvianum, licet alvum moveat, minime esse inutilem, nisi forte, quod admodum tamen raro, si vnquam, accidit, omni primae viae impuritate careant, inde patet.

§. VI.

Mirum praeterea mihi videtur, quod **SYDENHAMVS** *h)* febre intermittente plane depulsa, purgationes, quas durante morbo adhibere vetuit, ita necessarias esse voluerit, vt

h) libr. cit. p. 57.



vt his omiffis periculofum aliquem morbum homini imminere contenderit, cui quidem afferto *Perill. van SWIETEN* 2) affentire videtur, qui, *his purgationibus febre remota neglectis, urinam fieri rubicundam, adnatam oculorum tunicam subflavescere, linguam fieri sordidam, appetitum deleri vidit. Quae omnia symptomata tollebantur, cathartico quantocys propinato, per quod ingens copia biliosae saburrae expellebatur.* Igitur in primis viis fomitem febrilem latuisse certissimum est, quo factum, vt ea ipsa causa aut propter omiffas, durante febre, evacuationes, permanserit, aut, saburra biliosa licet plane remota, ob neglectam post febrem roboris restitutionem denuo recruderit. Si igitur ab illa causa mala symptomata pendeant, sane non video, quare purgantia, licet adeo idonea sint ad causam febris removendam, in febre vitanda sint, iunctis iisdem praecipue roborantibus, quibus imminens a febre periculum avertitur. Ipse quidem, solis emeticis atque purgantibus febres intermittentes semper fugavi, neque, his depulsis, solo Chinae vsu robur intestinorum restituens, pessima illa, quae SWIETENIVS observavit symptomata, vniquam vidi.

§. VII.

Hortulanus quidam per annum dimidium quartana iam laboraverat. Medicus quidam mense Decembri vomitorium

B

et

1) *Commentar. in Boerhaav, Aphorism. T. II, §. 766, pag. 559.*



et purgans ei propinat, deinde Corticem Peruvianum. Febris quidem cessat, paulo post vero redit. Medicus persuadere aegrotum sustinuit, tempore hyemali minime sanari posse febrem quartanam, ad dies calidiores medelam potius esse differendam. Miser aegrotus spe tristissima percussus ad prudentiorem medicum confugit, qui ei diebus a paroxysmo liberis, ter quotidie octo grana sulphuris aurati antimonii tertiae praecipitationis cum salibus mediis dedit. Vehementer inde alvus movebatur. Die febrili adhibuit salem plantarum cum succo citri. Atque his remediis per tres quatuorve paroxysmos continuo usus, insignem vidit faecum putridarum biliosarum copiam educi. Nec inde mirum, quod febris a priori medico tractata redierit, siquidem Cortex Chinae, materia nondum plane remota, febrem propellere non potuit. Sed vix credibile est, quanta pituitosae materiae copia in primis viis saepissime haereat, atque quot iteratis purgationibus, ut ea plenarie educatur, aegrotus egeat. Quid enim? An existimas, faecibus biliosis tanta in copia egestis, omnes impuritates in aegrotum, quem dixi, eiectas fuisse? Falleris sane! Repetita sunt evacuantia, iterum faeces biliosae subsequabantur; neque plane cessabat febris. Evacuabatur iterum salis ammoniaci et rhei drachma vna, aequali vtriusque remedii dosi adhibita, cui, ut, robore paullulum aucto, eo facilius evacuatio fieret, Corticis Peruviani vncia vna adiungebatur. (§. III.). Quae quidem remedia



media intra duorum dierum spatium aeger devorabat. Facibus iterum adustis, nigris, cum maiori pituitae copia remixtis, e corpore egestis, fomes febrilis plane debebatur, neque unquam febris rediit. Solius deinde Corticis Peruviani vncia semissi vsus, pristinam sanitatem atque robur aegrotus recuperavit.

Sartor quidam, qui Breslaviae per triginta hebdomades febris quartanae succubuerat, Dresdam, dum ibi arti medicae operam navabam, veniens, *primo Februarii die me* convenit, quo quidem die sequens remedium ei praescripsi: Rec. Sulphur. aurat. antimon. tert. praecipitat. grana octo; Cremor. Tartari vncias tres; divisione eiusdem ita facta, vt secundo et tertio die ad alvum blande movendam sufficeret.

Die *quarto* Sulphur. aurat. scrupulos duos; Cremor. Tartari, Salis mirabilis *Glauberi* vnciam semissem; pulveris rhei electi vnciam vnam dedi, quam quidem portionem hoc et sequenti die aegrotus plane devoravit. Vomebat pituitam spissam, cum bile viridi commixtam, lapidosasque fere faeces alvo emisit.

Die *sexto* Tartari emetici grana duo; Mannae Calabrin. vnciam vnam; salis mirabil. *Glaub.* drachm. vnam in suffic. aquae quantitate soluta mane sumenda commendavi, illius simul remedii, quod die quarto dedi, quodque ita nunc mutavi, vt sulphur. aurati scrupulorum duorum loco, quatuor substi-



tuerem, tota compositi quantitate in novem partes aequales distributa, tres de die partes exhibens. Vomitu biliosa, alvo biliosa reddebantur.

Die *septimo* febris mitior iam apparebat; quo et *octavo nonoque* remedio dicto continuabatur.

Die *decimo* paroxysmus, praecedente mitior adhuc factus, febrem mox plane abituram indicabat. Et hoc quoque ac sequente die eadem, quam dixi, methodo primae expurgabantur viae. Materiam febrilem fere nunc plane esse remota credidi, mitiori praegressi paroxysmi indole longoque evacuantium usu deceptus.

Die *duodecimo* mutavi remedia, atque Chinae vnciam vnam cum rhei electi et salis ammoniaci vna singulorum drachma, ita praescripsi, vt remedio in novem partes aequales diuiso, tres eo statim die fumerentur. Sed quid accidit?

Die *decimo tertio*, paroxysmus vehementior reddebatur, febris auctior. Materiae pituitosae atque biliosae sarragenem in primis viis adhuc superesse conieci, cui, nimis mature nimiam Chinae dosin adhibens, exitum interdixeram. Omisi igitur Corticem, atque Tartari emetici grana duo, cum Cremoris Tartari drachma semissi propinavi; quo remedio vehementissimae biliosae, lapillis fere duriores, evacuationes excitabantur.

Die

Die *decimo sexto* nulla observari poterat febris, numquam deinde rediens. Erroris antea commissi metu sapientior factus, Chinam quidem nunc intrepide adhiberi posse credidi, sed eandem tamen, ne fortasse superstes adhuc materia febrilis noceret, cum evacuantibus coniunxi; quo quidem modo hoc remedio ad *viceſimum tertium* vsque diem aeger vtebatur. Febris nunc plane erat sublata. Sudores, ut in febribus intermittentibus fieri solet, nocturni quidem relinquebantur, quos tamen Cortex Peruvianus cum sero lactis et Nitro depurato mox fugavit.

§. VIII.

Ex his duobus exemplis conicere licet:

1) Quod minime, ut docet SYDENHAMVS, purgationibus febris contumacior evadat; quod iis potius solis, sine villo aegroti damno, radicitus euelli possit.

2) Quod Cortex Peruvianus in sanandis febribus intermittentibus plane supervacuum sit remedium, nisi quod febre remota ad totum restituendum recte adhibeatur.

3) Quod China, materia febrili penitus fere remota, cum evacuantibus coniuncta, vim eorum efficaciamque augere possit; id quod primum exemplum indicare videtur. k)

B 3

4) Quod

k) Confer. *cel. Cas. Medicus: Geschichte periodischer Krankheiten aus Buch, p. 548. Carlsruhe, 1764.*



4) Quod si eiusdem materiae maior adhuc superfit farrago, Chinae vsu febris vehementior fieri queat, materia in corpore retenta, ex secundo exemplo patet.

Valetne Cortex Peruvianus febres intermittentes absque vlla sensibili evacuatione tollere, ita, vt minime redeant, quod quidem evacuantia efficiunt? Quid respondendum sit, ex dictis intelligitur.

Estne in debellandis febribus, medela differenda, donec aliqui praeterierint paroxyfmi? Duplex responfio. Quo citius fomes febrilis e corpore evacuantibus eiicitur, eo citius sine vlla aegroti noxa tollitur. Si vero morbi in corpore simul cum febre adsint, qui motibus naturae citius meliusque extirpari possunt, quam aliorum remediorum ope, tunc febris pro salutaris molimine est habenda. Sed in hoc quoque casu, si blandis evacuantibus alvus leniter moveatur, minime erit damnosum, ita tamen, vt febrem pacatius paululum per aliquod tempus progredi finas. An vero febres China statim sint suppressendae, nec ne, ex dictis optime diiudicatur.

OB.

OBSERVATIO SECVNDA.

ICTERVS NIGER IN VIRO SEPTVAGENARIO
SANATVS.

§. IX.

Vir fere septuagenarius ictero nigro laborabat, foedissimo colore ipsius faciem ita deturpante, vt Aethiopis speciem omnino referret. Methodus medendi, quae sanitatem ei restituit, haec erat:

Altero nempe quouis die, semicupium aquae tepidae, cui saponis paucillum addebatur, sic adhibebat, vt in eo ad vsque serobiculum cordis sederet; intercalari vero quouis die Clyfina ex lacte, sapone et floribus Chamomillae iniiciebatur; vtrumque enim remedium, ad infarctus hepatis resolvendos. viscidaque et stagnantia in hepate diluenda, aptissimum est. Praeterea propter eundem finem quotidie mane et vesperi pilulae, ex rheo, sapone veneto et terra foliata tartari compositae, sumebantur. Reliquo demum diei tempore cum evacuantem ex pulpa Tamarindorum, extracto taraxaci, tartaro tartarifato, Cremore tartari ita confecto, vt singulorum vnciae duae in aequali octo vnciarum quantitate aquarum

rum



rum foeniculi et naphae solutae essent; tum roborante, Cortice nempe Peruviano, utebatur. Illo quidem, vt materia spissa piceaque resoluta evacuetur, hoc, ne evacuando senile corpus nimis infirmetur, robur ei potius simul addatur. Aureum enim est theorema practicum, omni existimatione dignum, omnique exceptione maius: *In morbis chronicis, in quibus ad materiam noxiam evacuandam frequentiores evacuationes requiruntur, semper roborantia esse interponenda, ne scilicet, quod evacuantibus eiicitur, debilitate a purgantibus excitata iterum iterumque renovetur.* Frequenter enim, hac regula neglecta, morbo licet sanato, morbi oriuntur cachectici, ipsi iidemque adeo, quos sanasti, morbi, denuo redeunt.

Interdum autem, ne vnus eiusdemque remedii longiorem vsum aegrotus moleste ferret, potioni evacuanti dictae succus taraxaci et bellidis, cum sero lactis dulci, melle et tartaro tartarifato vtiliter substituebatur.

Pro potu ordinario aegrotus pifana hordeacea cum melle, nitro et parca aceti copia utebatur, fructus maturos praeterea copiose devorans.



OBSERVATIO TERTIA.

GLOSSITIS A METASTASI ARTHRITICA ORTA.

Femina nobilis, arthritide vaga laborans, cum illius depellendae causa ad aquas Hirschbergenses se conferret, propter materiam arthriticam, ab aquis attenuatam adque intestina conversam subito febre atque diarrhoea adeo vehementi corripiebatur, vt, intra viginti quatuor horas, quadragies ei aluus moueretur. Factum inde, vt summam virium prostrationem femina cacochymica pateretur. Sistebatur diarrhoea, at vero vehementior febris paroxysmus sequenti nocte redibat. Altero die febris nulla; tertio deinde febris vehementior iterum aegrotam cum summa lassitudine vexabat, ita, vt ad materiam arthriticam leniter evacuandam nihil, praeter simplicem Tincturam Rhei aquosam adhibere liceret, cui debilissimam aegram sustentandi gratia Cortex Chinae cum Syrupo violarum largaque Spiritus Vitrioli dosi admiscebatur. Die decimo quarto sudor largissimus, duodecim horas continuo perdurans, corpus infirmum roris instar rigabat. Dolores, hucusque ab artubus plane absentes, in articulis iterum percipiebantur. Subito vero tota morbi vis atque impetus ad linguam versus *glossiten* excitabat. Lingua intumescebat; fusca eandem crusta obducebat; nigraeque

C

macu-

OB-



maculae et linguam et totam faucium regionem replebant. Loquela difficilior fiebat; dolores vero adeo atroces reddebantur, vt aegra eos ita explicaret: *Es sind Hoellen-Schmerzen; es ist, als würde meine Zunge in einem Topfe gekocht.*

Pedes ad materiam arthriticam a lingua deriuandam, sinapuisinis inuoluebantur, quos tamen vltra horam dimidiam minime ferre valebat. Lingua tepidis feminum emollientium Ptisanarumque refrigerantium balneis continuo immergebatur, ita, vt a famula nunc ptisanam avenaceam cum Oxymelle et Nitro; nunc serum Lactis tepidum haud interruptim ipsius ori infunderetur, largiori syrupi violarum spiritusque Vitrioli dosi simul adhibito. Sed nihil plane his effectum est, quamvis quatuordecim fere mensuras ingurgitasset. Lingua tota denique aphthis obsita. Gangraena et putrida linguae dissolutio imminebat. Omnia, quae alias aphthis egregie opponuntur, remedia, nihil hic proficiebant. Crusta enim licet a Chirurgo saepissime deterfa, hora praeterlapsa denuo apparuit. Irritis quibuscunque remediis inexpectatum mirumque effectum sequens Tinctura praestitit: Rec. Terrae laponicae drachmas tres, coquantur in vnciis duabus aquae calcis vivae vsque ad consumptionem tertiae partis. Filtrentur, addantur sacchari faturni scrupulus vnus, mellis rosarum vnciae duae.

Horis enim vix tribus praeterlapsis, fusco corio sponte desquamato, vulnera, vivida purpureaque carne expleta
vide.

videbantur, lingua deinde in statum naturalem redeunte. Neque hac metastasi morbum radicitus sublatum fuisse credas. Nam dolores vagi, saepissime postea redeuntes, fomitem arthriticum in corpore adhuc latere satis indicare videntur.

OBSERVATIO QVARTA.

FEMINA MANIACA SANATA.

§. X.

Femina, mania ab obstructionibus hypochondriacis exorta laborans, sequenti modo sanabatur. Medici nimirum consilium erat; primo, fordes visceribus impactas blandissime resolvere ac diluere, deinde dilutas evacuare, denique autem fibras, et remediis et vi morbi debilitatas, roborare.

Propinabatur igitur p̄isana diluens, qua pro potu ordinario aegra utebatur, ita composita: Rec. radic. altheae vnc. quatuor, caryophyllat. vncia vna; rasurae cornu cervi vncias duas; passularum corinthiacarum vnciam vnam semissem; auenae excorticatae vncias tres; corticis citri recentis drachmas duas. Quae species concisae ac contusae, descripta ratione, quotidie, vt dixi, adhibebantur. His enim materia obstruens resoluta evacuantibus eo citius conuenientiusque euacuari poterat. Idem alii medici sero lactis praestantur.

C 2

Neque



Neque ista tamen aqua mucilaginosâ continenda est. Cum enim materia, hanc maniae speciem efficiens, atra bilis esse solet, cui haud raro acre adhaeret; non poterit non ptisana, quam descripsi, egregiam opem ferre. Nam aqua, largius deglutita, et fluidissimae sanguinis partis defectus refarcitur; et acrimonia ipsa infringitur, et denique solida, quae tum rigida esse solent ac tensa, relaxantur. Neque minus mucilaginosâ ac gelatinosâ ptisanâ portio utilis est. Etenim relaxat, obvoluit, impeditque, ne aqua citius, quam par sit, evacuetur. Denique passulae, praeter haec, blandissime resolvunt.

Evacuabatur deinde resoluta materies; non vno tamen semper eodemque remedio. Interdum enim hac potione utebatur aegra: Rec. Foliorum sennae sine stipitibus vnciam semissim; salis mirabilis *Glauberi* drachmas duas; pulpae Tamarindorum vnciam vnam; seminis anisi drachmam semissim. Concisis contusis affunde aquae feruidae vncias sex. Stent in digestionem per diem noctemque. In colatura solue Mannae depuratae vnciam vnam; adde olei caieput guttas tres. Quandoque vero in eius vicem sequens potio adhibebatur: Rec. Tartari Tartarifati, Oxymellis scillitici, singulorum vnciam vnam; extracti Taraxaci vncias duas. Soluantur digestionem in aquae menthae vnciis sedecim. Addantur aquae cinnamomi sine vino, syrupi dialthea, singulorum vnciae duae.

His



His remediis vsus pilularum, ex sapone Venetō, Gummi ammoniaco, sulphure aurato antimonii vltimae praecipitationis, extracto conii maculati et massa pilularum *Ruffi* compositarum, adiungebatur.

Formulas forte simpliciores exoptabis; quod tamen puto parum ad rem pertinere; nam sufficit, aluum his conuenienter motam fuisse.

Qua quidem methodo a trigesimo primo Martii die ad Aprilis decimum nonum vsque continuata, euacuantia alia deinde adhibebantur. Interdum enim potione sequentis compositionis utebatur aegra: Rec. Tartari emetici grana tria, aquae foeniculi vncias duas, syrupi diacodii vnciam vnā semissim. Misceantur optime solutione digestoria. Et integra haec potio vno haustu deglutita emesin, diuisa vero perque vices cochleatim data, diarrhoeam salutarem, qua materia atrabilaria copiosissime euacuabatur, excitabat. Emetica enim, minori dosi adhibita, purgationem efficiunt, dosi autem adhuc minori propinata, sudorem prouocant. 1)

Quandoque vero, aut Cremore Tartari, cum sale ammoniaco depurato coniuncto, aut sale polychresto aliisque purgantibus, Cortice Peruuiano interdum, ne corpus euacuantibus nimis infirmetur, addito, aluus ducebatur. Morbo denique

C 3

1) Vid. HIRSCHEL *Abhandlung von den Vorbauungs-Mitteln bey dem Pocken etc.* Berlin, 1770. p. 131, 141.



que depulso, relicta debilitas China, limatura martis iuncta, plane tollebatur.

§. XI.

Veteres iam helleboro maniacos sanarunt, nostrique ea remedia suaserunt, quae atram bilem eiiciunt. Sic HOFMANNVS *m)* largo vsu cucumerum, et SWIETEN *n)* cerasis aut fragis, ad viginti et ultra libras quotidie per aliquot septimanas assuntis, maniam sanavit. Nuperrime denique III. MVZEL *o)* maniacos tartaro tartarifato iunctis extractis amaris et melle sanavit. Ipse praeterea aliam virginem maniacam tartaro emetico et oxymelle scillitico sanatam scio.

OBSERVATIO QUINTA.

MORBVS NERVOSVS:

§. XII.

Ignoscant, quaeso, lectores, quod morbi dubii atque incerti fereque solis hypothefibus superstruendi, historiam describam. Quamvis enim, nisi erroribus decipi velis, anatomica sectione vera atque indubia ipsius natura confirmari debeat, atque illa, cum vir reverendissimus adhuc

m) *Medicln. ration. System. T. IV. p. IV. c. 3.*

n) *Commentar. in Aphorism. BOERHAAVE T. III. p. 480.*

o) *Medic. u. chirurg. Wahrnehm. I. II. Sammlung. 8. 11.*

adhuc in vivis sit, (id quod omnibus bonis gratulor) ego-
que eum relinquere nunc cogar, cui eandem pro ea, qua est,
animi magnitudine, si morbo occumberet, concesserat, in-
stitui haud potuit, eum tamen, ut Medici me doctiores, an ali-
quid fortasse pro aegroti salute adhuc decerni queat diiudicare
possint, nunc describere placuit.

HISTORIA MORBI AD M. SEPTEMBR. 1772.

§. XIII.

Vir xxxvi annorum texturam teneram nactus vultum-
que venustum, quem ne diuturni quidem morbi cruciatus de-
turpare valuerunt, hoc, quem enarrabo, morbo nervoso la-
borat. Facies, ut dixi, (si modo circulum, inferiores ocu-
lorum palpebras cingentem, liuidiorem paullulum excipias,) neque pallida, neque cachectica aut senilis conspicitur, ita
ut, nisi aegrotum ipsum esse scias, ex ea vix esse crederes.
Sed hoc non ita intelligi velim, ac si homo esset torosus, aut
musculosus, cum potius macilentus atque gracilis sit. Na-
tivia imbecillitate laborare videtur, cum in rachitidem dela-
psus, cuius tamen vix vlla vestigia supersunt, ad septimum
annum pedibus uti non potuerit, atque vigesimo demum anno
nubilus factus fuerit. Duram atque austeram parentum educa-
tionem expertus est. Pubertate adepta, venereis ludibriis
maxime deditus naturalem corporis debilitatem cum his, tum
mentis



mentis tristitia auxit. Accessit enim moeror quasi hypochondriacus, cumque iam ante vigesimum annum infirmus fuerit, hoc quidem anno praeterlapso adhuc infirmior euasit. Ante undecim annos vertiginibus obnoxius fuit. Vxorem deinde duxit, quae duodecim ei et quod excurrit annis praestat, primisque annis nimium omnino haudque sine magna mentis contentione deliciis matrimonii indulsit. Ante octo annos, praegressis doloribus colicis atque capitis artuumque lassitudine, affectu paralytico, cum tremore artuum capitisque vehementissimaque alui obstipatione coniuncto, subito correptus, post data evacuantia, intra octo dierum spatium tantum conualuit, vt modo vertigines, per sex adhuc hebdomades remanserint. Post haec duos circiter annos paene incolumis transegit. At vero labente hoc tempore, vehementissimo moerore vinci se passus est, eundemque insequens annus renovauit. Accessit febris catarrhalis, minime ea, qua decuisset, patientia sanata; siquidem tanta inde lassitudo remansit, vt studia paulo protractiora haud sine summo languore ferre poterit. Vere insequente colicae vertigines, palpitationes cordis, cephalalgiae lassitudinesque tantae aegrum vexarunt, vt interdum etiam ne lectum relinquere valuerit; praeterea subinde altero tantum die aluus cum tenesmo mota fuit. Munus sacerdotale, quo hucusque functus fuerat, nunc deponere coactus, circa Iulii finem, vt animum exhilararet, in praedium se

se

se contulit. Ibi vero suffocationibus vehementissimis; duodecim dies durantibus, terque quaterue in die redeuntibus, corripitur; quibus demum superatis eo usque vires recuperavit, ut exire potuerit. Suasu amici aquis tum Pymontianis usus est; quae maxime ei prodesse visae sunt. Sed mense Septembri post summam mentis perturbationem vires quodammodo restitutae subito iterum dissolutae sunt. Febris enim lenta, lypothymiae, colicae, frequentesque obstructions tenesmoideae aegrum inde invaserunt. Mense Decembri suffocationes redierunt vehementissime, ita, ut quiuis adstantium mortem imminere arbitratus sit, quamvis non continuo, sed interiecto mox quatuordecim dierum, mox quatuor septimanarum intervallo apparuerint. Nec tenesmus, alui obstructio, colicae, lypothymiae, lecto fere semper affixum relinquerunt. Haec symptomata ad vernale usque tempus durarunt. Vere autem, summo animi moerore aegro tum adfecto, omnia peiora fiebant. Eo enim tempore convulsiones primo in scenam prodierunt, alui obstructione et suffocatione iisdem adiunctis. Remedio fortiori euacuante adhibito per sex hebdomades nullae apparuere suffocationes, et, licet vna cum summa lassitudine lypothymiae ac convulsiones subinde reverterint, morbi tamen vis adeo tum remisit, ut munere quoque iterum fungi potuerit.

D

HL



HISTORIA MORBI INDE A MENSE SEPTEMBRI
ANNI 1772 AD DECEMBREM 1773 VSQVE.

§. XIV.

Mense Septembri a. 1772, quo primo mihi aegrum videre contigit, enarrata symptomata adesse reperi. Quae igitur sunt: Suffocationes frequentes; conuulsiones; lipothymiae; vertigines et memoria vacillans, qua fit, vt cogitationes invito interrumpantur, voxque faucibus haereat; febricula interdum, siue summus ardor, corpus miseri exurens; colicae intolerabiles, dolorificae per totum corpus sensationes; urinae difficultas; priapismus; alui tarditas cum tenesmo; tumor abdominis flatulentus; appetitus haud deiectus; somnus non omnino malus; pulsus aut iusto celerior, atque debilis, aut inaequalis, aut plane intermittens; summa virium prostratio; dolor levis continuus eo loco, quo medulla cerebri per foramen occipitis migrat, saepissime totum occiput temporaque occupans; palpitatio cordis, rigores per totum corpus, dolor praeterea grauius, numquam desinens, acutus tamen, si locum tangas, in regione epigastrica, quatuor fiere pollices transversos ab umbilico distans, in dextrum finistrumque hypochondrium, inque ilia vsque sese diffundens, ita tamen vt longius a limbis hypochondriorum iliumque asit, magisque ad interiorem ymbilici regionem vagetur, atrocior factus, si suffocationes et colicae solito vehementiores immi-

nent,



nent, quasi ictu lapidis locum adficeres. Et à centro doloris suffocationes sursum ascendunt, flatusque ab eo loco sese diffundere videntur.

Praeter haec aeger a levissimis etiam causis vehementer irritatur, ibique, vbi sternum in cartilagine[m] ensiformem definit, singulari exanthemate laborat, quod vesiculas inflammatas puriformi materie repletas, exhibet, quodque licet interdum exsiccando evanescat, de nouo tamen statim recrudescit. Sanguis per venam sectam eductus, in speciem sat bonus apparet. Vrina, vt in hypochondriacis esse solet.

§. XV.

Liceat vero haec symptomata accuratius paullulum depingere:

Suffocatio primo haec praenuntia habet, e quibus imminere eam saepissime praedixi: vertiginem, visus obscuracionem, praecordiorum anxietates, dolorem spasticum, eo, quo dolorem adesse, loco incipientem. Post haec respiratio gemebunda eiulatusque quasi timidi canis exauditur, mox deinde in vociferationes anxias atque clangosas desinens, quo facto aegrotus non, nisi erecta vice spirare valet, omnes artuum atque trunci vires intendens. Interdum aut anxietas sola aut plorandi desiderum, minime a morali causa pendens, suffocationum erumpentium locum subit. Denique Paroxys-

D 2 mus

I
vi
igi
hy
tio
icu
co
nes;
tu
nus
ilis,
pro
ebri
em
cor
atus
iere
um
a ta
ma
r fa
mi
ent,





mus aut suspirio, aut lipothymia, aut tussi, aut ructuum explosione finitur, ingentem lassitudinem relinquens.

Convulsiones haud fere quidquam, quod singulare esset, ostendunt, nisi quod Lipothymia, incipiant, eademque finiuntur.

Ipsas Lipothymias vertigines praecedunt, visus acies hebescit, scintillae ante oculos obversantur, pulsus aut debilis aut intermittens evadit, vox interrumpitur; interea vero aeger omnia, quae adstantes loquuntur, verba, bene audit.

Vertigine correptus, quasi omnia in gyrum voluantur, percipere sibi videtur; idemque symptoma mox Phlogosin faciei sibi iunctam habet, mox sine ea accidit.

Febricula non omnino regularis est, neque quovis vesperi redit, sed a causis accidentalibus produci videtur. Sic vinum, colloquium diu protractum, faeces durae, intestinis inclusae, nimiaque ipsa animi alacritas, alia, quin latentes saepissime causae, febrem, tempore non accurate definiendo, excitant.

Colicae, quotidie fere redeunt, leves quidem plerumque sunt, tanta tamen vehementia interdum aegrotum adficiunt, ut vires hominis superare videantur; ipsaque aegro lipothymia saepissime remedio est.

Sudores continui, plus minusue profusi, hieme licet frigidissima, corpus emaciant.

Sen:

Sensatio dolorifica, rheumatismi fere more huc illuc
vagans.

Vrinae difficultas et priapismus tunc exoriuntur, quan-
do flatibus abdomen distenditur. Saepissime priapismum
pollutiones nocturnae excipiunt, eademque maxime debili-
tantes.

Alvi tarditatem tenesmus comitatur. Et illa tanta est
vt alius sine Clysteribus vix vnquam moueatur. Tenesmus
quidem primo, quo aegrotum accessi, tempore, vehementior,
erat, attamen etiamnum aegrum torquet. Faeces durae,
globosae interdum, naturales nonnunquam, plerumque socio
dolore colico eiiciuntur! Quandoque cibos incoctos alius
excernit.

Tumor abdominis flatulentus. Illud enim tumescit
inde a cartilagine ensiformi ad pubem vsque. Neque vero
hoc ita intelligi velim, ac si tumor perpetuus adfit, nisi enim
flatibus abdomen vrgetur, vix ac ne vix quidem vllam ipsius
intumescentiam percipuis. Tunc vero maximus tumor in-
primis ibi est, vbi transuersum colon sinistrorsum versus lie-
nem pergit, flatusque etiam, licet colon dextrum non omni-
no extensione immune sit, in sinistra tamen regione primo
sentiuntur.

Appetitus non deletus. Satis enim cibi pro morbi
conditione comedit, neque vllum inde incommodum, aut in

ventriculo, aut in intestinis sentit, nisi forte, tempore aliquo praeterlapso, maior faecum copia intestinis inhaereat; nam tunc suffocationes ea praecipue hora, qua cibus intestina ingreditur, aegrum adfligere solent. Sed nulla in his regula, nullus ordo. Et etiam, alua tum aperta, praeter Phlogosin, post pastum excitatam, nulla molestia afficitur, fames contra ea, cibus iterata vice adlumtis tollenda, aegrum vexati, mox vero cibi satietatem sentit: Somnus sat placidus bonusque. Licet enim aeger haud per totam noctem dormit; attamen haec, vigiliis interrupta, intervallo somno pomeridiano, quem capere solet, quodammodo compensantur. Negari vero nequit, minus eo aegrotum refici.

Summa vitium prostratio. Haud quaquam enim solus, si quando e lecto surgat, ad fellam, quae adstat, incedere valet. Fatendum autem, non omni tempore hanc lassitudinem aequae magnum esse.

DISQVISITIO MORBI, QVO AEGER LABORET.

§. XVI.

Sequitur, vt indolem huius morbi examini subiiciam. Licet enim haudquaquam, vt puto, dubitari queat, quod *mali hypochondriaci consummari* nomen mereatur: attamen quaeri adhuc potest: an a sola nimia neruorum sensibilitate ista, quae commemorauimus, symptomata oriantur? anne
 potius

potius grauiora viscerum abdominalium laesio, inprimisque scirrhus, in vno alteroue vescere abdominali productus, saltem vt causa eorum accessoria accusari possit.

§. XVII.

Disquirentum igitur primo est, an causae, quas dixi, neruorum sensum ita acuere potuerint, vt symptomata dicta inde enasci affirmari queat? Et videamus ergo, quid incommodi ab iis causis corpori humano subrescat. Itaque perpendas, aegrotum tenerae et sensibilis texturae iamiam ab incunabilis fuisse; quam deinde imbecillitatem aufera educatio, venus immoderata atque moeror non potuerunt non augere. Immoderata enim seminis profusio systema non solum neruorum, sed etiam musculare incredibili modo debilitat. Nam fieri aliter nequit, quin tandem materiae seminalis penuria, motus conuulsiui repetiti ipsaequae ideae venereae, inprimis vi quasi adhibita protractae, vires vel robustissimi hominis exsoluant. At vero debilitas, quae succorum nutrientium penuriam fortioremque nimisque diu protractam aut iusto frequentius repetitam partium actionem excipit, ea plane est, qua vis sentiens, insistaque acuitur. Quod igitur natiua aegri sensibilitas, propter venerem immoderatus excitatum adaucta sit, dubio caret. Idemque de moerore dicendum. Et si enim moeror, cum retardando sanguinis circulum humores inspisset, torpori potius vis sentientis atque insitae, quam au-

ctae



Etæ sensibilitati ac irritabilitati fauere videtur: p) attamen
 haud quaquam id, quod asserui, absõnum mihi ideo esse vi-
 detur. Nam causarum, quæ remotæ sunt, ea est ratio, vt
 identidem oppositos plane effectus producant. Praeterea
 moeror, in morem cuiuscunque fortis diuque menti obuer-
 santis ideæ, neruos fatigando iisdemque teneritudinem in-
 fert. Et ipsam deinde moeror nutritionem suspendit; cuius
 igitur defectu corpus et sensibilius et irritabilius redditur. De-
 nique exemplo mali hypochondriaci, quod spissitudinem a-
 trabilariam consequitur, discimus, vel a spissis humoribus,
 auctæ cum sensibilitatis, tum irritabilitatis effectus produci.
 Notimus quoque, moeroris effectus haud recedere ab his,
 qui studia intensiora insequuntur. Anne veto hæc sensibilita-
 tem demum mirifice augent? Quare autem primæ, quæ di-
 euntur, viæ, istarum causarum actioni præceteris sere parti-
 bus pateant? ex mirifico earum cum cerebro neruisque con-
 sensu et prægressa rachitide intelligitur.

§. XVIII.

Quæ cum ita sint, quaeritur nunc:

Anne a sola neruorum vi aucta hæc symptomata pro-
 duci possint? Id vero historiae morborum quam optime doce-
 bunt. Sic infantes, qui maxima neruorum sensibilitate gau-
 dent, a solo lacte ab acido coagulato, quod adultus homo
 robu-

p) *Instit. Patbol. medicin. auctor. GAVBIO. Lips. 1759. p. 278.*

robustior minorique sensibilitate praeditus facilius fert, colic-
 cas, tormina, flatus, conuulsiones experiri, cognitum est.
 Cephalalgiae hysteriarum per aliquot laudani guttas vel pauca
 castorei grana, quae sensum ventriculi obtundunt, paucis mo-
 mentis interdum fugantur. q) Satisque in vniuersum noui-
 mus, pathemata ista, quae hysterica aut hypochondriaca no-
 minantur, quaeque ad spasmos neruorumque vitia pertinent,
 multo magis frequentiusque ab aucta primarum viarum sensi-
 litate, quam a scirrhis similibusque viscerum abdominalium
 laesionibus prouenire, siquidem practica anatomia nos docet,
 scirrhos abdominales interdum a morte detectos esse, licet
 aegri, dum viuerent, haudquaquam de hypochondriacis aut
 hysteriis pathematibus conquesti sint. r) Quibus ita consti-
 tutis patet, symptomata, in superioribus descripta, a sola posse
 nimia primarum viarum sensilitate prouenire. Confirmat haec
 (§. §. XVI. XVII.) *celeber. TRONCHIN s*). Nam, recensiti-
 tis dirissimis nimiae sensilitatis sequelis, addit: In viris —
 immoderata venus tragoediae causa proegumena fuit.

E

§. XIX.

q) Cl. RAHN *Diss. inaug. de viro inter caput et abdominis visc. commercio.*
 Goetting. 1771.

r) Ill. VOGEL. *l. c.* p. 441.

s) de Col. *Piston, Ten, & Lips.* 1771. p. 45. 46.



§. XIX. *Uterque suspensionem tollendor*

Quae vero licet ita sint, videndum tamen: annon etiam scirrhi suspicio adfit? *Scirrbus pro causa habet, quidquid succum in glandulis coagulare, inspissare, siccare potest.* Conferas igitur, si placet, cum hac definitione Ill. BOERHAAVII quoscumque caularum dictarum effectus. Primo igitur omnes causae, quae liquidissimam humorum, canalibus aut glandulis inhaerentium, partem diminuunt, efficiunt, ut iidem magis minusve inspissentur; deinde, quod sanguinis celeritatem minuit; quod denique aut, sensibilitatem nervorum augendo, fibrarum contractiones nimis fortes efficit, aut tonum earum infringit, scirrhi causam praebere valet.

Ex supra dictis igitur patet, humorem feminis glutinosum ac maxime alibilem, maiori copia, quam quae a natura praescripta est, esse profusum. Sed haec nimia feminis profusio multis modis scirrhorum ortui fauet. Et primo quidem largior ac celerior, qua tunc opus est, feminis secretio humorum denique, et etiam fluidissimae eorum partis, defectum infert. *Colatoria enim corporis, quo magis emulgentur, eo plus humorum aliunde ad se trahunt, succisque sic ad genitalia derivatis reliquae partes depauperantur.*

*) SWIETEN *Commentar. in Aphorism.*
484. pag. 843.

BOERHAAVE T. I. §.

tur. u). Cum vero semen, quanto copiosius secernitur, tanto aquosius euadit: facile intelligis, liquidissimam quoque inde humorum partem nimium decrefcere. Deinde lassitudo corporis iade oritur, *quod et cor stimulo priuatur, quo illud et reliqua organa motus irritantur; semenque maxime ad robur animae et corporis confert, x)* et quod impetuosa illa agitatione, qua semen excernitur, nerui maxime musculique debilitantur. Inde autem duplex scirrhi causa enascitur; altera torpore circulationis, altera viribus coctionis elanguentibus continetur. *Ill*a quidem sanguinem retardando, *haec* humores inspissando, obstructions creat. — Et penuria ipsa humorum vires coctionis labefactat, liquidaque inspissat. Nam, vt liquidis nostris assumta assimilentur, additione humorum animalium opus est. — Accedit, quod, sensibilitate neruorum aucta, crispationes fibrarum muscularium facillime oriuntur; inde vero vasorum contractiones, multiplex circulationis, coctionis, secretionis, excretionis impedimentum, obstructions atque scirrhi nascuntur. Moeror praeterea, circulationis celerioris, vt diximus, impedimentum, atque vitus, morbo minime accommodatus, quo legumina, fabas puta ciceraque, aliaque viscida refero, malum incipiens augere potuerunt. Ea enim, nisi valido naturae robore subigantur

E 2

u) GAUBIUS l. c. p. 289.

x) Perill, HALLERI Element, Physiol. T. VII. L. XXVII, p. 546.



gantur, chylum producunt nimis glutinosum, unde glandularum tumores, telae cellulosae infarctus, systematis, quod ad bilem pertinet, inertia producitur. *y)* Denique his sudores profusi ipsiusque urinae aquositas adiungi possunt.

§. XX.

Supereft igitur, vt dicam, cur in hoc aegroto scirrhum in vno alteroue viscere abdominali, quodcumque demum id fit, adesse credam.

Dolor ille quidem continuus, fixus, acutus, in regione epigastrica tumidum aliquod atque scirrholosum viscus indicare mihi videtur. *Merito in praxi versari Medici*, inquit SWITENIVS, *z) dum chronici illi dolores abdomines adsunt, talem causam suspicantur.* Dolor erat acutus, continuus, exacerbens saepe, remittens numquam illius aegroti; quem *Ill.* et experientissimus TISSOTVS *a)* sanare frustra studebat. Inuentum est in ipsius cadauere hepar cartilagine durius, pancreas ter aequo maius, hepate durius. Mulieris illius, quae de continuis circa cardiam molestiis conquestra erat, cadauer, a HENRICO VELSE dissectum, hepar durum atque rigidum ostendebat. *b)* THVANVS, per quadrienium de dolore

y) GAVBIUS l. c. §. 498.

z) l. c. T. III. p. 156.

a) *Epistol. Medico-Practic. Edit. III. BALDINGERI, Ien. et Lips. 1771.*

b) SWITEN l. c. T. III. p. 118.

17 m. h. c. 71



dolore circa regionem coli cum sensu ponderis ad regionem
 stomachi, dum erectus staret, vel ambularet, conquestus
 fuit. In cadauere defuncti, inuentum hepar rotundum, in-
 star sphaerae, factum et transfixum gypsea pituita seuum re-
 ferente. Pancreas mole et pondere heparaequabat, totum scir-
 rhosum, multis globulis specie oui columbini con-
 stans. c) Dolor erat in abdomine pueri illius, quem scirrho
 laborare BOERHAAVIUS praedixerat. Aperto cadauere, in-
 ventus fuit scirrhus, ileon intestinum comprimens prope il-
 lum locum, vbi vltimus eius finis intestino colo inseritur d).
 Dolori in hypochondrio dextro, ab annis iam multis per cir-
 cuitus recurrenti, vir erat obnoxius. Hepar durum. e) Mu-
 lieri cuidam dextra ventris pars, si eam tangeres, dolebat.
 Hepar in molem ingentem excreuerat. Nam lobo dextero
 quasi ad ventris fundum perveniebat. Huius lobi substantia
 tota indurata; sinister lobus itidem induratus. f) Sexagena-
 ria mulier diu queritur de dolore supra umbilicum. Hepar du-
 rum. Lien duplo naturali maior. g) IN FORTVNATO MAV-
 ROCENO dolores ventris, inter cartilaginem ensiformem et

E 3 v m-

c) SWIETEN l. c. T. III. q. 156.
 d) l. c. T. I. p. 859.
 e) MORGAGNUS de sedibus, et causis morborum per anatomen indagat.
 Neapoli, 1772, Epistol. 1. 4.
 f) l. c. 36. 2.
 g) l. c. 36. 4.





umbilicum, saepe repentini, et momentarii, nonnunquam paulo longiores. Omentum erat in scirrhum conuersum. *b)*

Verum quidem est, (vt de hepate tantum loquar,) hepar in regione hypochondriaca dextra situm esse, cum tamen dolor maxime in regione epigastrica percipiatur, in illa ad umbilicum tendens. Coniici inde fortasse posset, quod hepar minime sit offensum, cum dolor aliam quandam abdominis partem, quam in quo hepar locatur, teneat. Sed constat, hepar, lienem, alia viscera saepe aut loco naturali discedere, aut in volumen iusto maius extendi. Licet enim hepar in hypochondrio dextro situm sit, tamen haud raro adulti homines obseruantur, in quibus amplius hepar in sinistrum hypochondrium lobum sinistrum ad lienem vsque mittit. Idem saepe ad umbilicum vsque et infra eum eminent. *i)* *Baiulo* hepar longe maximum erat, ad libras quatuordecim, vt ventris vniuersam superiorem regionem, et proximae huic partem, anterius occuparet; sinistrorsum autem adeo excreuerat, vt suspensorio ligamento, quod crassius alioquin factum erat, plurimum in eam partem curuato, fissura umbilicalis ad sinistrum latus esset cartilaginis ensiformis. *k)* Mulieri illi
hepar

b) MORGAGNVS I. c. 36. 6.

i) *Perill*, HALLERI *Elementa Physiologiae corporis humani* T. I. Lib. XXIII, Sect. I. p. 468.

k) MORGAGNVS I. c. 36. 25.

hepar maximum et durum vbique ventriculum in regionem umbilicalem compulerat. *l)* Alius mulieris hepar ad lienem vsque extendebatur. *m)* Alius iterum hepar in sinistrum hypochondrium extensum. *n)* Lien erat in viro triplo maior quam par erat. *o)* In anu lien versus epigastrium aductus erat. *p)* Praeterea miraberis, in aegroto meo minime externum tumorem percipi, cum tamen nihilominus scirrhum adesse credam. Sed in aegrota illa HENRICI VELSE, quamvis hepar durum ac rigidum in cadauere repertum fuerit, nullus tumor aut peculiaris durities hypochondrii dextri percipi potuit. Nec THVANO hypochondria tuebant.

Sed deinde obiicies mihi fortasse, neque icterum, neque vomitum in meo aegroto adesse, cum tamen hepar scirrhosum icterum fortasse procreasse et praeterea idem, aut aliud scirrhosum viscus, irritando ventriculum, vomitum excitare deberet. Sed neque in THVANO, neque in muliere VELSIANA, neque in aegroto TISSOTI, neque in illa MORGAGNI muliere, cui totum hepar erat durum *q)*, neque in *baiulo*, cuius hepar quatuordecim libras pendebat, aut icterus, aut vomitum.

l) MORGAGNVS I. c. 21. 24.

m) MORGAGNVS I. c. 16. 38.

n) MORGAGNVS I. c. 43. 37.

o) MORGAGNVS I. c. 16. 6.

p) MORGAGNVS I. c. 56. 12.

q) I. c. 21. 24.



vomitus aderat. ^{r)} Ipsaque illa mulier, cui non hepār modo in ingentem molem excreuerat, ita, vt lobus dexter quasi ad ventris fundum perueniret, qui totus erat induratus, sinistro itidem indurato, sed cui etiam ventriculus in medio angustus erat, vt ibi pylori arcitudinem aequaret, sicque duas quodammodo repraesentaret ventriculos, nullo laborabat ictero, et postremis demum aliquot diebus ante obitum vomitus apparebant. ^{s)}

§. XXI.

EXPLICATIO SYMPTOMATVM.

Quibus cognitis, symptomata, in superioribus descripta, haud difficili opera explicantur. Praecipui eorum fontes sunt: sensibilitas nimia totius systematis neruosi ac muscularis; obstructio aluina; dolor ipse colicus; forteque scirrhus abdominalis, quem existimo maxime aut in hepate, aut in pancreate residere, siquidem in his scirrhi longe, quam in ceteris visceribus abdominalibus, frequentius inueniuntur. Cum tamen scirrhi praesentia nondum extra omnem dubitationis aleam posita sit, licet permulta eum indicare videantur: misso eo videamus, qua tandem ratione, e triplici isto fonte, symptomata aegri emanare possint. Et *obstructio* quidem *aluina* ferociae imprimis spasmodum, quam aucto primarum viarum
sen-

^{r)} MORGAGNVS, 36. 25.

^{s)} MORGAGNVS l. c. 36. 2.



senfilitas induxit, indeque enato motus antiperistaltici augmento debetur. Ea enim intestinorum est ratio, vt, si quando validius, et ab ipsis adeo purgantibus, irritentur, spasmm identidem contrahant fortissimum, quo ipso, canali intestinorum inde ocluso, liberior excrementorum descensus praepeditur. Verum enim vero obstructio aluina, iam producta, se ipsam auget. Nam, retentis excrementis, et flatus accumulatur, et excrementorum cum copia, tum durities sensim increfcit, quibus fit, vt nouae inde spasmi causae succrescant, molesque etiam maior ac durities excrementorum resistentiam augeant, aluus etiam magis magisque constipetur. Quin, his ita comparatis, non solum motus peristalticus elanguescit, sed antiperistalticus quoque maiora incrementa capit, vnde fieri aliter nequit, quin, cum excrementa superiora versus vrgeantur, aluus demum constipatissima euadat. *Dolor colicus* inde intelligitur. Nam dolor intestinorum cum obstructione aluina, *colica* dicitur. Patetque facile, neruos intestinorum, a flatu, faecibus, spasmo compressos, tenfos atque distractos, dolorem inferre posse. Cum vero colon flatuum ac excrementorum collectioni prae ceteris pateat: dolor quoque colicus hoc imprimis intestinum occupat. Causae, quas diximus obstructionem aluinam efficere, *flatulentum* simul abdominis *tumorem* producant.

¶

Mo-





Mobilitas nervorum nimia, dolor, spasmus ventris, flatusque et excrementa, quae intestina expandunt, eorumque vasa comprimunt, *cephalalgiam, vertigines, convulsiones, ruborem faciei, visus obscurationem, metum suffocationis, anxietatem, palpitationem cordis, pulsam irregularem, motus febriles, cutis ardorem, urinam limpidam* inferunt.

Tenesmus compressis, a scybalis duris et flatibus intestinorum vasis debetur. Regressu enim sanguinis inde impedito, rectum nimis irritatur. Praeter ea, dum dura scybala fortius irritant, et ipsa tamen immobilia facta sunt, irritus ad excernendam alium stimulus sentiatur, necesse est. Denique mictionis vitia haud raro tenesmo stipantur.

Tenesmus; spasmus ac distensio ventris; auctaque nervorum sensilitas *mictionis vitia, priapismum, pollutiones* proferunt.

Appetitus sat bonus, quin auctior quodammodo, haudquaquam, ut mihi quidem videtur, liquidorum, digestioni inferuentium, acritati, cuius quidem manifesta signa deficiunt, sed motui potius ventriculi peristaltico, propter nimiam nervorum sensilitatem, adaucto tribui debet. Inde enim fit, ut cum parcam modo aeger singulis vicibus ciborum quantitatem assumere queat, fames frequentius, quam alias fieri solet, recurrat.

Sudores

Sudores isti copiosi non infrequenter in his, quorum coctio haud bene procedit, obseruantur t). Anne igitur inde in aegro quoque nostro producuntur? Neque vero motus febriles, spasmi primarum viarum et cutis debilitas concurrere nequeunt.

De virium prostratione non opus est, plura afferre, cum eius causae manifestae sint. Lipothymiae mobilitati nervorum, distensionis intestinorum, spasmo ventris et ipsi dolori colico adscribi debent.

Paralyfes quondam perpeffae colicae conuulsivae effectus sunt. u) Dolores cutis eidem causae debentur.

§. XXII.

MEDELA AB ALIIS ADHIBITA.

Minime aliquid certi, cum ipse tum aegroto non adfui, enarrare audeo. Medicamina igitur, quae et ipse sponte adhibuit, quaeque alii Medici adhibuerunt, simpliciter tantum enarrabo.

Anno decimo septimo, cum admodum esset infirmus, in Heluetia degens, aquas Petrivallenses, (*Petersbaler-Wasser*) adhibuit, annoque subsequente Piperanas (*Pfeffer-Bad*)

F 2

Bad)

t) Vid. memorabilem casum in libro, qui sub titulo prodiit: *der in schweren und verwirrten Kranckheiten vernünftig ratbende nud glücklich curirende Medicus. Erfurt. 1762. Cas. III. p. 163.*

u) TRONCHIN l. c.



Bad); absorbentia; Ptilanas, e Sassaaparilla, ligno Sassafras et radicibus Cichorei, Liquiritiae et Chinae constantes. His quidem annis, quibus aquarum medicatarum usum intermisit, iusculis ex herbis compositis, ut Cichoreo, lactuca, nasturtio, in earum vicem vltus est. Succos quoque expressos ex Chaerefolio, Taraxaco, Buglossa, Borragine cum sero lactis, interpositis laxantibus, per quatuor hebdomades adsumsit. Mixturam praeterea salinam Hallensem, (*Salztropfen*); balsamum TEICHMEYERI; puluerem rubrum antispasmodicum Hallensem; puluerem stomachicum Hallensem; essentiam dulcem Hallensem usurpauit. Spiritum deinde iuglandum, cerasorum, iuniperi vinosum adhibuit. Clysteres, vrgentibus symptomatibus, applicabantur, iunctis frictionibus cum linteis calidis, ut pedibus manibusque frigidis calor amissus restitueretur, instituit; pulueres porro temperantes; elixirium viscerale, ex extracto aquoso Myrrhae et rheo; rheum solum, (id vero tenui in auxilium); castoreum; aquarum Pyramontanarum quindecim lagenas; sal anglicanum; lac quotidie mane ad vnam mensuram per quatuor hebdomades, at notabili cum noxa, siquidem dolores colicos et lithymias produxit; iuscula ex cancris et conchis confecta; mala igitur mixta bonis in auxilium vocauit. Sane

Difficile est, satyram non scribere.

Haud quaquam vero hic reticendum, aegrum sibi, hoc morbi

morbi tempore, cum incongrua diaeta, tum venae sectione, bis intra anni tempus instituta, nocuisse. Nam farinacea, duraque cerealia, ut fabas pisâque, copiose deuorauit. Et venae sectio, etli eandem sanguis, vehementius versus caput aliasque partes congestus, suadere potuit, nequaquam tamen proficua fuit. Nam, cum causa congestionum spasmi potissimum continetur, spasmi vero haud quaquam plethorae verae, sed aucta potius, propter debilitatem humorumque penuriam, sensilitati tribui debeant, venae sectio non inutilis solum, sed etiam nociva existit.

§. XXIII.

MEDELA A ME ADHIBITA.

Cum accederem ad aegrotum : morbum tunc gravissimum esse, minime intra paucas hebdomades finiendum, facile intellexi. Perplexi deinde, quod incertum sit, an scirrhus hic lateat, aut sola modo sensibilitas neruorum subsit, quae, iunctis praecipue lapidescentibus faecibus, praecipua morbi phaenomena producat? Verissimum enim est, symptomata dirissima saepissime tantum ab incredibili fere mucis atque faecum copia oriri. Sic noui hominem, per viginti annos gravissima epilepsia, ab obstructionibus aluinis orta, laborantem, oxymelle vero scilicito, tinctura rhei aquosa, aliis-



que euacuantibus sanatum esse. Virginem quoque vidi dirifimis, consultationibus per tres annos succumbentem, semicupis tepidis, tartaro emetico, manna, gummi resoluentibus, sapone, Kermes minerali, mercurio dulci, sale ammoniaco, iunctis clysteribus ab iis liberatam. *) Innotuit mihi virgo alia nobilis, quae tantam pituitae copiam parabat, vt mucus, vrinam si emitteret, ex vrethra, idemque crassus atque tenax ex ano propenderet; appetitus ita erat prostratus, vt per plures annos, a cibis solidis, quorum vsum maximi cruciatus semper insequerentur, abstinere coacta, solis iusculis viuere deberet; interea, quod forte miraberis, facies illius purpureo colore tincta erat, neque de mensium defectu conquerebatur. Remediis pituitam spissam resoluentibus, sulphure aurato antimonii tertiae praecipitationis, tartaro emetico, Ipecacuanha, rheo, radice Ari et dictamni albi aliisque digestiuis, nunc fere plane restituta esse videtur, sperandumque fore, vt, hac medendi methodo diutius continuata, morbus radicitus exstirpetur.

Sed reuertamur ad aegrum nostrum. Perspexi facile, quod, si forte aucta modo sensibilitas duraque scybala morbum producerent, horum remotione tantum solisque robustantibus opus sit. Sed periculosissimum, scirrhum puta, suspicari, medici prudentis erat. Is enim medelam cautiorem omnino

*) Confer. Cl. RAHN *dissert. inaug. supra citatam.*

omnino poscit, ne remediis nimium irritantibus cancerosus evadat. Verum enim vero qualiscunque demum huius mali sit ratio, optimo tamen iure coniici poterat, quod plurima symptomata, conuulsiones, colicae, tenesimus a duris excrementis penderent. Ea igitur prius, nisi fallor, erant propellenda, quam ad stasin scirrhosam remouendam animus admo- veri poterat. Felici tamen adfinitate ea remedia, quae ad ob- structiones viscerum resoluendas proderant, (nam de scirrho perfecto sanando numquam cogitaueram), faecibus duris ex- pellendis nec minus conueniebant. Sed patienter atque cau- te, vt dixi, erat agendum. Subito enim atque vno quasi impetu fomitem morbosum si extrudere voluisses, corpus de- bile atque infirmum heroico cuiusque remedio succubuisset. Extracti igitur taraxaci, florum Chamomillae, saponariae, corticis peruviani aquosi, tartari tartarisati anaticam portio- nem, in sufficienti aquae Chamomillae romanae quantitate solutam, aliquoties per diem cochleatim adhibuit. Pilulas deinde, ex extracti hyosciami corticis peruuiani aquosi, fellis bovinae inspissatae aequali dosi compositas, commendavi; nem- pe, vt obstructions in hepate haerentes, blande expurgaren- tur, et bilis corrupta simul emendaretur. Sapo etiam venetus his deinde pilulis, propter eundem finem addebatur. Et pi- lularis huius massae grana duo de die sumebantur, dosi ad qua- draginta vsque in diem aucta.

Quo-



Quomodocunque enim contra nova remedia **STOERC-
XIANA** insurgere velis, id tamen confirmare possum, cum id
ipse expertus sim, hyosciamum, cicutam, napellum, reme-
dia maxime resolventia esse. Nam aut per urinam, aut per
asperam arteriam, aut per sudorem, noxiam materiam solu-
tam atque mobilem factam e corpore evacuant. Anodynam
praeterea vim possident. Mulier quaedam, cuius humores
maxime corrupti, pedesque ideo tumefacti, fulco livore ob-
ducti, vlcerumque pessimorum pleni erant, adeo, vt gan-
graena iam immineret, epidermide siquidem ita dissoluta, vt
a digiti tactu diffunderet, de dolore atrocissimo conquirebatur,
qui cicuta, fomentationis specie, pedibus applicata, sedaba-
tur. y) Est mere diureticum, inquirunt obtrectatores cicutae
atque plantarum aliarum venenatarum: qua igitur ratione ea
prodesse possit, non vident. Recte omnino. Est diureti-
cum, sed ipsa haec virtus maxime est laudabilis, cum per re-
nes crassior sanguinis pars percoletur. Resoluta igitur faece
morbofa, sale acri, cicutae inhaerente, ea simul per urinam
evacuatur.

In-

y) Confer. III. PHIL. ADOLPH. BOEHMERI, *praeeptoris mei ad cineres vs-
que devenerandi Diss. academ. de cancro occulto apertoque. Halae
1761. et Cl. IOEL SALOMON dissert. inaug. de cicutae agendi modo etc.
Halae 1763.*

Infusum praeterea ex floribus Chamomillae romanae
 et herba cicutae aegrotus adhibuit; eo scilicet fine, ut vires
 erigerentur, obstructionsque resolverentur.

Ut flatulentas abdominis tensiones lenirem, sopirem:
 fomentationes ex floribus Chamomillae, herbi cicutae et se-
 mine lini, aut unguentum Althaeae applicari iussi. Semicu-
 pium etiam tepidum admixtis mucilagine althaeae semineque lini
 cocto, in quo eum ad diaphragma sedere iussi, commendavi.
 Clysmata praeterea emollientia ter de die iniiciebantur.

Quae remedia cum aegrotus per integram hebdoma-
 dem adhibuisset; eheu! famulus balneo tantam aquae calidae
 copiam adfudit, ut, exaestuatione nimia inde exorta, aeger
 in balneo sedens, lipothymiis atque convulsionibus corripere-
 tur. Accedens ipse, aegrum ex balneo in lectum afferri iussi.
 Sed, materia in intestinis stagnante, et remediis, et balneo
 mobili facta, febrem natura excitabat, qua ab onere mole-
 sto se liberare moliebatur. Febris oriebatur continua, vespere
 exacerbata, delirio levi, quotidie stata hora ingruente, sti-
 pata. Naturam, quae, quid faciendum sit, indicabat, secutus,
 ceteris omnibus omissis, ea modo auxilia in usum vocavi,
 quae motum sanguinis coercerent, faeces induratas evacua-
 rent, humoresque a capite ad pedes derivarent. Temperan-
 tia igitur copiosissime dedi, spiritum nempe vitrioli et rob ri-
 besiorum, nitrum; clysmata quoque ac vesicatoria applica-
 bantur;



bantur; quibus deliria comminuebantur. Faecibus lapidosis expurgatis, febris cessabat, et aegrotus ita valebat, ut plane restitutus, et lipothymiae, dolores colici, tenesmus, convulsiones, quaeunque demum mala quasi diffusa esse viderentur. En vero, cum morbi inducias tantum, minime plenariam pacem suspicarer, remediis dictis ex extractis resolventibus atque tartaro tartarificato constantibus, perrexi sero lactis addito, elixirioque viscerali ex extracto Chamomillae, corticibus fructuum aurantium immaturorum, oleo cinnamomi, vinoque gallico composito. Gravissimum hic me admisisse errorem credo. Reprehendant me aequi ac veraces iudices! Cum enim, faecibus induratis nunc absentibus, symptomata silerent; quare, (licet forte scirrhus in quocunque abdominis viscere adsit,) evacuantia nunc propinabam? Obiicient benignissime, scirrhum adesse me suspicatum esse, resolventia igitur blandiora non fuisse reiicienda. Concedo; cum vero febre corpus esset debilitatum, de roborando eo prius erat, quam de ulteriori sanatione cogitandum. Intestinis enim nondum confirmatis, coctione, inde impedita, faeces denuo accumulabantur, tristitia deinde morbi symptomata redibant. Septimana enim vix praeterlapsa, lipothymiae, tenesmus, convulsio, dolores colici apparebant. En! subito mane ad aegrotum accersitus doloribus colicis vehementissimis hominem fere succumbere video. Faeces duras, intestinis inhaerentes, causam inmanis doloris

doloris esse suspicor. Opio quidem irritabilitatem sensibilitatemque minui, debilitatem igitur aegroti infirmi augeri noveram. Sed hic, quod dicunt, periculum erat in mora, auxiliumque repentinum conditio aegri indicabat. Sensibilitate imminuta, spasmio interno sedato, ipsius causam, faeces duras, puta, intestinum irritantes nimiumque extendentes, eo facilius evacuantibus deinde removeri posse iudicabam. Homo quidam, passionis iliaca laborabat. Spasmus, intestina ipsius contorquens, nullo labore, nullis remediis vinci poterat. Aegrotus semicupio tepido insidere iussus, vno opii grano dato, et evacuante dein adhibito, salvus inde evasit.

Opium igitur grano vno aegroti meo propinato, liquoris terrae foliatae tartari, animae rhei, singulorum drachmam vnam semissem, salis polychrestei teignette drachmam semissem, clysteribus emollientibus iunctis, dedi. Sed nimis haec invalida erant, quam ut iis incuneatae quasi faeces extrudi potuissent. Acrior enim stimulus requirebatur. Eo enim die, quo mane dolores colici ingruebant, post meridiem primo lipothymia fere letalis, ita, ut frigidissimus sudor per totum corpus prorumperet, convulsiones deinde, sequentique die hora circiter decima suffocationes vehementissimae accedebant. Quid vero accidit? Hora fere duodecima lingua paralyti corripiebatur, ita, ut aegrotus balbutire modo valeret. Clystere e decocto foliorum tabaci, ut acriori stimulo intesti-



num quasi immobile vellicaretur, adhibito, sordium lapidosa-
 rum, pugni fere dimidii magnitudinem referentium, decem
 circiter frusta, eiciebantur. Pulsus durus, celer. Facies
 ardebat, respiratio anxia erat atque suffocatoria. Venaelec-
 tio, quam quidem, propter alium aegroti statum, debilita-
 tem scilicet, quam ea augeri praevidi, horrebam, institueba-
 tur, ne apoplexia fortasse aeger subito corriperetur. San-
 guine vix emisso, sponte aeger vomebat, colorque reiecto-
 rum fuscus, tincturam rhei aquosam, hesternae die adhibitam,
 evomi haud obscure indicabat, cum ipsa illius, quod vo-
 muerat, copia ne minimum tincturae commemoratae dosim
 superaret. Commendavi spiritum vitrioli cum syrupo ribesio-
 rum, salem praeterea ammoniacum, repetita dosi adhiben-
 dum, clysteres, faeces duras iterum iterumque educentes, ve-
 ficatoria suris applicanda. Ipsa venaelectio altera, altero die,
 sanguinis exaestuatione, ita, ut vix spirare valeret, conti-
 nuante, maxime necessaria erat. Evacuantibus igitur per heb-
 domadem fere continuatis, loquelae usus plane redibat. Au-
 xilium quoque fortasse attulit quodam modo sinapisimus, cer-
 vici per noctem unam applicatus. Sed aegrotus viribus de-
 inde, quamvis, errore meo cognito, cortice Peruviano co-
 piofissime vteretur, ita, ut per septimanam quotidie, longio-
 ri eius usu a domesticis non concessio, uncias duas devoraret,
 minime recuperatis, remediorum pertaesus, sanationem
 modo



modo palliativam desideravit. Et ipse ego, postquam intellexi, faecibus licet plane ex intestinis expurgatis, robore etiam illis addito, symptomata quidem mitiora facta esse, at vero summam tamen adesse debilitatem, totiusque corporis maciem, dolorem praeterea illum fixum in epigastrio nunquam desinere, scirrhum suspicatus, morbum insanabilem esse conieci. Accedit aliud argumentum, quo, illum adesse, magis adhuc confirmatur. Sordibus enim, ut dixi, eiectis, convulsiones suffocationesque rarius tantum apparent. Nonnumquam vero, magis magisque faecibus duris iterum accumulatis, maiori vehementia illae redeunt, indicio vero, alvum tardam, ut supra innuimus, a vitio hepatis aut pancreatis pendere. Fatendum autem, post usum clysterum emollientium interdum nil, praeter parvam mucis spissioris copiam prodire; e quo colligere fas est, spasmos nonnumquam solos primarum viarum suffocationis metum inferre. Illa quidem symptomata, quae a tensibilitate nervorum magis, quam a scirrho, si adsit, oriuntur, lipothymias puta, vertigines, quotidie ingruunt, neque eorum, sordibus intestinalibus plane licet absentibus, vlla valet remissio. Tenesmus quidem aegrotum, tot clysteribus adhibitis, penitus fere reliquit. Sed ridebunt forte Medici me doctiores, quod, cum remedia licet optima, minori tamen copia brevissimoque tantum tempore adhibuerim, de aegroti salute desperem. Et fateor, in

G 1

gra-



gravissimo hoc morbo a paucissimis remediis meliorem effectum vix expectari potuisse, et igitur minime hanc ob causam malum insanabile dici posse, quod quaecunque remedia salubria diu constanterque satis essent adhibita. Experiatur quicumque velit medicus, meliora; gratulabor aegro atque gaudebo.

§. XXIV.

MEPELA PALLIATIVA.

Virgentium symptomatum, lipothymiae quidem, convulsionis, suffocationis, febriculae, palliativa desiderabatur curatio.

Clysteres nempe, ne faex alvina accumuletur, ter de die adhibentur. His enim omissis, in hoc aegrotto peiora symptomata evadere expertus sum.

Lipothymiae opposui vinum Hungaricum et volatilem quendam liquorem, naribus applicandum. Vtroque enim remedio vires eriguntur.

Convulsionibus clysteribus emollientibus atque infuso Melissa tolluntur. Illis quidem aperta alvus obtinetur; hoc vero flatibus via libera aperitur. Chamomillae, fortio-
toremque effectum omnino praestantis, saporem vix ferre potest.

potest. Suffocationes deinde, si aut imminere videntur, aut iam apparent, eodem infuso propelluntur. Mirum est, quod aegrotus, durante paroxysmo, calidissimum herbae Théë infusum sine vlla ardoris in ore labiisque perceptione, sorbere queat. Transpiratione sic excitata, tensionibusque abdominis sublatis, quies redit. Aduvant quodammodo hunc effectum frictiones pedum abdominisque, linteis calidis institutae.


Febricula illa lenta optime remediis refrigerantibus, nitro, succo citri aquae instillato, leniuntur.

Sive denique aeger suavissimum vitam tristissimam finiat, sive eam, doctiorum medicorum ope ac auxiliis, diutius adhuc protrahat, sive demum ipsam integerrimam sanitatem recuperet: haec et quaecunque alia, quae aut imminent ipsi mala, aut eundem expectant bona, composito paratoque animo feret. Nam, mente per divinam gratiam pacata, mortem non exhorrescit, et

*Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.*



TRAL-


 TRALLELIO SUO

S.

PRAESES.

Etsi quidem permulta, mi TRALLES, TIBI honorifica, commemorare
 possem: tamen, ne copiosa TIBI TUARUM virtutum recensione
 molestus sim, in iis me enarrandis continebo, quae ab aliis non
 ignorari TUA maxime meaque interesse existimo. Patrem nactus es
 JOAN, GUILIELM, TRALLES, eximium in Lusatia medicum, consanguineum
 vero celeberrimum Vratislaviensem medicum BALTHASAREM LUDOVICUM
 TRALLES. Ex ephebis cum excefferis, optimus TE parens gymnasii
 cuiusdam illustris civibus adscribi curavit, tum, ut bonarum demum
 artium et elegantiorum scientiarum praeceptis abundares, tum, ut me-
 dicinae elementa addisceres. Accidit autem, haud sine insigni tuo
 damno, ut praeceptorem medicum nactus fueris, qui, cum HAMBERGERI
 (viri, si verum fateri velis, qui mathesin ac scientiam naturalem sine
 arrogantia colis, in eximium plane scientiae artisque medicae detrimen-
 tum nati) placitis erroribusque inhaereret, falsarum TE opinionum
 commentis imbuere et calamitosi erroribus irretire, deditissima quidem,
 ut solent fere huius farinae homines, sed pernicioso opera adnitebatur.
 Enim vero huic, iam graui quidem, aliud tamen, illo haud fere leuius,
 malum accessit. Nam illi, quibus cura tui demandata erat (forte
 aut victimas numerantes, quas victimarius iste *Hambergerianus* trucu-
 lenta sua manu ceciderat, aut theoriam medicinae praeceptis HAMBERGERI
 huiusque sectatoris dimetientes,) odio maximo contemptoque haud facito
 medicinam prosequerentur nobilissimamque, TE praesente, artem irridebant.
 Quibus obtestationibus, cum noverim, quam tener sit animi tui sensus,
 haud quaquam sane miror, misere TE, mi TRALLES, inhumanos istos
 tortores conturbavisse; certeque, tui causa, odissem ego eos, si quem-
 quam modo hominum odisse possem. Ne vero alterutri aut utrique
 malo occumberes, monitore TIBI parente opus erat. Is igitur suis TE
 monitis



monitis in viam revocavit abiectumque tuum animum erexit. Reversus
dehinc in patriam urbem, theoriam quidem medicinae, assidua optimo-
rum librorum lectione, praxin autem medicam, duce excellentissimo
tvo parente, didicisti. Sed domestica illa institutione non contentus,
Dresdam, clarissimam viris eruditis urbem, profectus atque *illustra*
HAENEL et *clarissimo* **PITSCHEL** praeceptoribus vix es; **ILLE** praxin **TE**
medicam ac chirurgiam; hic anatomiam edocuit. Berolini deinde ana-
tomiae, physiologiae, pathologiae, therapiae operam dedisti. Postremo
huc venisti et biennium fere apud nos commoratus es. Quo labente
tempore *perillustrem* **JOAN. ANDR. de SEGNER**, matheos ac scientiae
naturalis elementa tradentem, et *illustrem* ac *venerandum* facultatis
medicae senioem **PHIL. ADOLF. BOEHMERVM**, artis obstetriciae regulas
explicantem, audivisti. Et clinicis quoque *illustris* **BOEHMERI** exercita-
tionibus interfuisti. Denique, duce *clarissimo* **D. JUNGHANSSIO**, plan-
tarum **TIBI** notitiam comparasti. Quod vero **TIBI**, his laboribus
deditissimo, tempus supererat, cum lectioni optimorum librorum, tum
aegris visitandis impendisti. Et illud quidem studiorum genus ita secutus
es, ut, cum ea, quae ad theoriam pertinent, cum practicis semper
coniunxeris, haud fere vllum adhuc e junioribus medicis noverim, qui
aeque, ac **TV**, in vtraque se medicina parem praestitisset. Quod cum
ita sit, atque impensa utilissimorum librorum lectione delecteris, forte
mirum quibusdam videbitur, quod **HIPPOCRATEM**, **GALENVM**, **ARETAEVVM**,
HAENIVM pluresque alios nullibi, quantum memini, in hoc scripto lau-
daveris. Et omnino, si dicendum, quod res est, optarem quidem ego,
mi TRALLES, vt quidquid temporum vanitati dedisses. Nam, si laureo-
lam in mustaceo quaerere et vanum istud atque inane, quod fere in
morem abiit, scribendi genus imitari voluisses (potuisses enim), brevi,
ita me Deus adiuvet, eruditissimi inde hominis gloriam reportasses.
Bono tamen animo sis, *doctissime* **TRALLES**! Erunt enim, haud quaquam
dubito, aequiores scripti tui aestimatores! Et hi sane intelligent ex eo,
TE ad augendam et amplificandam medicinam plane natum esse. Quam
vero laudem vt assequaris: monere me oportet, primam ac quintam
observationem ad **TE** solum pertinere, secundam vero, tertiam ac
quartam ab *excellentissimo* tvo parente **TECVM** communicatas esse, me

H
vero,

orate
sione
s non
us es
neum
icum
nasti
mum
me-
tuo
GERI
line
men-
onum
dem,
atur.
vius,
forte
rucu-
GERI
acito
bant.
nfus,
istos
nem-
cique
s TE
onitis



vero, ne quid tibi mea culpa detraheretur, haud fere quidquam aut
 mutasse in tua dissertatione, aut ipsi adiecisse. Et ne tuum quidem
 dicendi genus mutavi, scilicet ut caverem, ne videar forte his, qui id,
 quod ego sequor, norunt, si non observationum, dissertationis tamen
 auctor existere. Praesidis munus recusanti mihi obtulisti. Et omnino
 mea ope carere posses, si modo non nimis tenuiter de tuis viribus sentires.
 Quibus autem commemoratis, nihil iam superest, quam ut tibi, mi
 TRALLES, de acquisita tua doctrina deque summis in medicina honori-
 bus, ex merito in te conferendis. *excellentissimo* vero tuo patri arti-
 que medicae de filio, de medico tam praeclearae indolis animitus gratuler,
 DEVMQUE OPTIMUM MAXIMUM ardentes implorem. velit tibi tuisque
 conaminibus elementissime adesse! *Excellentissimum* tuum patrem,
 quem suspicio, meo nomine quam maxime salutabis. Vale, mi TRALLES,
 memorque nostrae amicitiae, diutissime vive. Dab, in Reg. Frider:
 die xii. Decembr. cl^o 1^o cclxxxiii.



Monsieur et tres cher Ami!

Quoique touchant à la fin de ma carrière, je ne prene plus, un intérêt fort vif aux choses d'ici-bas, mon coeur né sensible ne laisse pas de s'ouvrir aux douceurs de l'amitié. La douceur et la droiture de Votre Caractère, la solidité de Votre Esprit, l'étenduë de Vos connoissances, Votre pieté éclairée, Votre charité, sont des qualitez trop précieuses, et qui se trouvent trop rarement ensemble, pour ne pas Vous procurer l'estime et l'amitié de tous ceux, qui Vous connoissent. Je vous félicite de ce, qu'en recevant demain le bonnet de Docteur, Vous terminez si glorieusement Vos études Académiques. Heureux les malades, qui imploreront Votre secours! Ils trouveront en Vous non seulement un Medecin éclairé, judicieux, mais de plus un ami, genereux et compatissant, qui ne s'estimera heureux qu'autant qu'il pourra soulager les maux de ses freres. Vivez content et jouissez des ici bas des douceurs de la vertu. Veuille le Seigneur, que vous serviez de si bon coeur et au service, du quel Vous Vous êtes dévoué des Votre tendre jeunesse, couronner toutes Vos Entreprises d'un heureux succès, et Vous accorder, quand Vous aurez achevé Votre Course, la recompense promise à la pieté et à la vertu.

Nous

Nous ne nous reverrons plus ici-bas, mon cher Ami, bientôt quittant ce monde, je prendrai l'essor vers celui qu'aime et désire mon ami; mais aussi avec quelle alairesse ne nous reverrons et ne nous embrasserons nous pas dans les bienheureuses contrées de la lumière, d'où tous les maux qui affligent ici-bas la triste humanité, seront bannis pour jamais! Je Vous embrasse et suis avec une sincère et tendre amitié

Monsieur et trez cher Ami!

Halle ce 14 Decembre

1773.


Votre tres humble et trez affectionné Serviteur
et ami

O' Bern.

Halle, Diss., 1773-74
X 230 9444







DISSERTATIO INAUGURALIS
OBSERVATIONES QVASDAM
MEDICO - PRACTICAS
SISTENS.

1773, 46
7

QVAM
E DECRETO
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO
D. IOANN. CHRISTLIEB KEMME
MEDICIN. PROFESSOR. PVBL. ORDINAR. ET ACAD. IMPER.
NAT. CVR. SODALI
PRO
GRADV DOCTORIS
LEGITIME IMPETRANDO
DIE XV. DECEMBR. MDCCCLXXIII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES GOTTHOLD TRALLES
MOYSO - LVSATVS.

HALAE AD SALAM,
AERE TRAPIANO.

